Lane Medical Library

DE

MORBIS SYPHILITICIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AEMILIUS CORNAND

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

L. POSNER, med. et chir. Dr., med. pract.

H. EPENSTEIN, med. Cand.

A. de GRAEFE, med. stud.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0094

PATRIBUS

ORNATISSIMIS, CLARISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS

HOSPITII ARAUSIONENSIS

MAXIME DE SE MERITIS

NEC NON

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De syphilide quoad diagnosin et curam inde ab origine hujus mali usque ad nostram aetatem tot et tam diversae sententiae latae sunt hodieque tam variae opiniones feruntur, ut operae pretium esse videatur, hunc medicinae campum accuratiori studio subjicere, ut fructus majores quam hucusque factum est inde percipiamus. Longe quidem absum ut contendam, me tironem nostrae disciplinae id assecuturum esse, quod peritissimis medicis non contigerit: id autem affirmaverim, fore, ut observationes atque experimenta iterum atque iterum instituendo ad illum finem perducamur. Itaque hisce pagellis id tantum appetere voluerim, ut pro mea virili parte ad novam syphilidem contemplandi rationem magis divulgandam aliquid conferam, quae quidem quoad rectam hujus morbi et diagnosin et curam maximi momenti mihi esse videatur, quippe quum id sane inde eveniret, ut illa inter mercurialistas et antimercurialistas lis in modum medicis aeque ac aegrotis consentaneum disceptaretur. Quae autem nova syphilidem contemplandi ratio auctorem habet Richardum Carmichael, medicum Anglicum, qui

primus doctrinam de contagiorum syphiliticorum pluralitate proposuit indeque conclusionem fecit, unamquamque morbi formam uno alterove horum contagiorum productam poscere curam peculiarem. Qua de re Carmichael in suis Eblani habitis praelectionibus uberius disseruit, quibus quae sequuntur deprompsi.

Diversa symptomatum syphiliticorum agmina quoad decursum tam distincte ac peculiariter inter se differunt quam variolae et morbilli. Ita in eruptione papulosa, cui febris praecedit et quae squamis coloris cuprini desquamatur, semper exstant chronica faucium inflammatio, tonsillarum intumescentia, saepe simul cum glandularum cervicalium intumescentia cumque articulationum doloribus rheumaticis similibus conjuncta; numquam vero his in casibus ulcerum formationes in faucibus vel naribus vel exostoses offeruntur. Ubi contra eruptio pustulosa febri praegressa in ulcera transit, quae crustis crassis obtecta illam conicam rupiae prominentis formam vel induunt vel inclinantur atque tandem crusta delapsa se praebent profunda ac phagedaenica: ibi haud immerito ulcera in pariete pharyngis posteriore extare semper concludere licet, quae plane neglecta fauces totas obducunt atque sursum in nasum ac deorsum in guttur extenduntur; quamquam in hac utraque parte ulcera, quin inde a faucibus eo usque porrexerint, oriri possunt, quae in naso nunc cariem nunc exfoliationem ossium nasi, in gutture irritatio-

nem tractus respiratorii continuam ac suffocationis impetus efficiunt. Praeterea tales aegroti saepe dolores non solum in articulationibus, praesertim in genu, sed in ipsis ossibus, qui exostosibus pertinacissimis excipiuntur, accusant.

In alia syphilidis forma, illa quidem, in qua eruptio squamosa, colorem fusce rubrum vel cuprinum induens, characterem leprae vel psoriasis Willan autore prae se ferens offertur, fere semper simul ulcera profunda in tonsillis, dolores in capite et diaphysibus ossium fistularium, quos exostoses sequuntur, inveniuntur. Quae symptomata omnia naturae sunt chronicae, et quamquam aegroti adspectus malum constitutionale, quo afficitur, clare demonstrat, tamen hoc in casu nunquam eruptioni illa praecedit febris, quae alias eruptiones quasi inaugurat, quin etiam ulcera in gutture exstantia minime sunt acuta, ut potius summos faciunt progressus, priusquam doloribus se prodant.

Magni semper momenti est, accuratius discernere, utrum eruptio ab exordio fuerit squamosa, an in decursu suo postea hunc characterem induerit, quippe quum papulae, pustulae, tubercula quoque posterius in formam squamosam transeant. Quibus autem omissis multi jam eo perducti sunt, ut varias syphilidis formas inter se permutarint atque discrimen inter eas specificum negaverint. Sane quidem nonnulla symptomata omnibus syphilidis affectionibus communia sunt: ita enim, ut exemplum afferam, eruptio tantum papulosa ac pustulosa febri vehe-

menti stipata est; tamen affectio quaedam fibrosa squamosae etiam eruptioni non plane deest, quae quidem aliis signis desideratis et agrypnia et adspectu morboso in lucem prodeat. Item faucium affectiones inde ab irritatione simplici usque ad deletionem ulcerosam, porro dolores et capitis et articulationum, quin etiam iritis varias syphilidis formas comitari et possunt et re vera comitantur: tamen iritis saepissime cum eruptione papulosa se conjungere solet, ubi praesertim tales aegroti ea afficiuntur, qui exanthema aut refrigeratione aut usu mercurii maturiore repulerint; quum quidem illud remedium tum demum applicari liceat, quum eruptio in desquamatione, stadio igitur decrementi versatur.

Quibus perpensis quaestio obtruditur: quamnam rationem syphilis ad reliquos morbos habeat? num malum sit sui generis, an forte ordini exanthematum classis pyrexiarum sit accensendum, quae Cullen ita definivit: morbi contagiosi, a febri initium capientes, quam sequitur eruptio.

Atque revera variae syphilidis formae huic definitioni plane respondent. Malum syphiliticum in omnibus suis varietatibus legibus exanthematum generalibus obtemperat, quum quidem febri vel vehementiori vel mitiori inauguretur, eruptiones faciat et nunquam contactu, nunquam atmosphaera — qua igitur in re ab aliis exanthematibus abhorret — communicetur. Virus syphiliticum insitum progignit, similiter ac variola et vaccina, vesiculam, cujus lympha summopere quidem contagiosa, prout

autem purulenta evadit', vim suam contagiosam amittit. Quae res, ab Evans primum proposita, a Ricardo experimentis repetitis confirmata est.

Cujus rei ratione habita syphilis arctissimam quandam cum variola et vaccina analogiam praebet, quarum quidem vis insitia tum etiam est maxima, quum vesicularum contentum est lymphaticum; quae res confirmata majoris est momenti, propterea quod ad leges veneni syphilitici explicandas et constituendas aliquid contribuere valere possit. Priusquam ergo illud vesicularum inoculationis contentum resorbetur, plures dies praeterlabuntur, unde commodas de causticis in hoc stadio adhibendis conclusiones faciamus et credamus licet, fore, ut iis adhibitis infectio ulterior et totius corporis morbus praecaveatur.

Toto autem organismo morbo affecto eruptio febri inaugurata in lucem prodit, quacum simul irritatio faucium irtrare solet: phaenomenon quidem, quod iterum et syphilidi et aliis exanthematibus est commune. Quae vero eruptio, quum certa eruptionis, decursus, decrementi stadia praebeat et regularibus temporis intervallis contineatur, si justo maturius a corporis superficie repellitur, cerebrum, pulmones tractumque intestinorum corripit. Quae igitur aeque modo omnibus exanthematibus propria peculiaritas regulam cardinalem quod attinet ad curam proponi jubet eam, ut regularis eruptionis decursus moderetur tantum, nunquam vero turbetur simulque nimius febris et eruptivae et secundariae auctus praecaveatur.

Haec quidem regula generalis, quae hucusque de exanthematibus tantum strictiori sensu acutis valuit, et in syphilidem est adhibenda.

Quisque vero horum morborum quoad curam individualisationem etiam ac modificationem legum curandi generalium postulat. Quum e. g. exanthema morbillorum, variolarum, scarlatinae refrigeratione vel aliis causis subito recessit atque cerebrum vel pulmones affectione inflammatoria corripiuntur, unde exsudato in his organis facto mortem celerem exspectare debemus: tum medico praecipue studendum est, ut calore, balneis calidis, stimulantibus adhibitis exanthema in cutem revocet illumque exitum lethalem praecaveat. Idem vero etiam de una quaque affectionis syphiliticae forma valet, attamen pro ejus individualitate modificatum. Quodsi igitur e. g. forma syphilidis pustulosa vel tuberculosa in evolutione sua turbatur aut a cute repellitur, tum non pulmones atque cerebrum, sed ossa atque periosteum afficiuntur; forma papulosa suppressa caput atque articulationes petuntur nec raro talibus in casibus iritis progignitur, quacum una perturbationes status communis, quo facto haud raro nova eruptio leniens provocatur, quae tamen cura prava porro adhibita iterum evanescit. Ut supra jam dictum est, refrigeratio et usus mercurii maturior causae sunt, quibus eruptio evanescit. Facile quidem est ad intelligendum, frigus et humorem, si quidem vim in cutem exserunt, actionem ejus vasculosam ita coercere, ut eruptio de hac dependens aut prodire aut diutius conser-

vari nequeat. Minus autem apparet, quomodo mercurius hunc effectum producere possit; illum autem effectum exseri, experientia cujusvis medici haud dubie confirmaverit. Fortasse fit, ut hoc remedium ex Hunteri sententia evolutionem viri syphilitici coerceat novam in organismo actionem de isto dependentem provocando. Quodsi hoc modo leges, secundum quas virus syphiliticum agit et in sua actione turbari potest, explicamus, extra dubitationis aleam positum esse videtur, quin symptomata secundaria cura non mercuriali adhibita multo mitiora esse debeant, quam mercuriali cura adhibita, id quod praxi medica plane etiam comprobatur.

Quum quidem inter omnes constet, varia contagia regulari quodam modo productiones suas externas conficere: quid est, cur syphilidem excipiamus et existimemus, in hac unum solum agens diversissima phaenomena ac formas progignere posse? Num forte credere velimus, istud venenum, quod illam mitem eruptionem papulosam, quae mox desquamatur tumque saepe sponte evanescit, producat, unum idemque esse ac illud, quod provocet pustulas ac tubercula, quae in ulcera crustis crassis obducta, Rupia vocata, mutantur aut exulcerationes profundas edentes impuras margine phagedaenico praeditas relinquunt? An ex eodem fonte etiam psoriasis atque lepra syphilitica originem trahat? Sane quidem vulgo probatur, unum solum venenum omnibus his per se tam diversis malis esse causam, quare syphilis declaratur contagium sui generis, quod ab communi exanthematum re-

gula abhorreat; sane quidem permultae et primariae et secundariae syphilidis varietates aut variis aut constitutionibus aut variae quae exstat tempore contagionis valetudini attribuuntur. Quarum autem causarum nec minus vitae rationis et curandi consiliorum effectum etsi concedimus, tamen iste ad discrimen inter illam mitem formam papulosam et ulcera destructiva declarandum minime sufficit. Aequo enim jure supponere liceat, pro constitutionum varietate contagium unum idemque in altero casu morbillos vel purpuram, in altero autem vehementissimam variolae formam provocare posse. Huc accedit, quod, si constitutiones illam eximiam vim exserebant, mitem syphilidis formam semper apud juvenes valido corpore praeditos, ulcera autem destructiva apud homines dissolutos et emaciatos reperiremus necesse esset: id quod re vera minime ita sese habet.

Aliud pro pluralitate venenorum syphiliticorum argumentum varietate curae perhibetur, quam affectiones variae expostulant. Ita eruptio papulosa nunquam mercurii usum poscit, quin imo ista eo adhibito, nisi id desquamationis tempore fit, pertinacior evadit. Etiam in forma phagedaenica mercurius vim exserit nocivam, et tum demum, quum sanationis jam initium factum est, quod maculis in loco ulcerum priorum squamosis orientibus proditur, parvae mercurii doses esse possunt utiles, quum sanationi faveant; quamquam remedium hujus formae praecipuum est kali hydrojodicum, cui Sarsaparilla conjungitur. Illa autem eruptio, quae ab initio squamosa

apparet, celeriter ac tuto usu mercurii statim adhibito sanatur.

Pluralitatem venenorum syphiliticorum porro argumenta historica testantur. Satis vulgo constat, syphilidem in Europa ad finem saeculi decimi quinti primum apparuisse et ab Hispanis ex America esse translatam. Utrum res ita se habeat, necne, difficile est diremtu: id certe autem constat, hoc fere tempore novum et malignum morbum observatum esse, qui primum apud praesidia Hispanica Neapoli collocata apparuit indeque celeritate ingenti per totam Europam diffusus est. Exstant autem notitiae historicae ex temporibus antiquissimis, quae mala syphilitica adfuisse demonstrant. Ita Moses institutis ac legibus id curat, ut gonorrhoea latius serpnra praecaveatur; Hippocrates de exulcerationibus, profluviis et intumescentiis partium genitalium disserit; Celsus in capite: de obscoenarum partium vitiis, octo species ulcerum in genitalibus usu venientium describit, quarum una plane cum vulgari nostri temporis ulcere primario congruit, quod eruptionem papulosam neque raro etiam phimosin provocat; nec minus ex Celsi descriptione ulcera phagedaenica crustis obtecta dignosci licet. Denique scriptores aevi medii numerosi jam diu ante originem syphilidis praesumtam de affectionibus primariis coitu provocatis disserunt. Quodsi vero affectiones primariae tunc temporis haud ignotae erant, tamen nihil de syphilide constitutionali, quamvis haec tunc sicut hodie sane exstiterit, cognitum erat, quae potius frequenter cum lepra

confundebatur. Inde factum est, ut lepra eodem gradu, quo cognitio luis venereae secundariae se extendit, evanescat. Itaque haud immerito praesumamus liceat, syphilidem fere aeque antiquam esse, ac consuetudinem sexualem; tamen etiam approbandum est, novam illius formam ad finem saeculi decimi quinti in lucem prodiisse, quae utrum productum americanum, an europaeum fuerit, levis tantum momenti est. Quidnam igitur de prioribus, inde ab antiquissimis temporibus exstantibus formis factum est? Num forte, ut lepra, nova illa irruente forma deletae fuerint, an non magis e ratione credamus, illas etiamnunc quasi inveterata morbi venena, tempore et conditionibus modificata, perdurare? Itaque etiam momentis historicis contemplatis eo perducti sumus, ut pluralitatem contagiorum syphiliticorum probemus.

Merito postulari licet, ut haec quaestio examini systematis illius subjiciatur, quod tempore recentiori utilissime et acutissime in syphilide perscrutanda est adhibitum, dico systema experimentorum inoculationis. Experimenta quidem ad hanc rem instituta id commodi habent, ut ii qui ea instituerint illi supra dictae sententiae non adstipulati essent, unde fit, ut his experimentis vis illam sententiam demonstrandi eo major insit. Priusquam autem haec experimenta contemplamur, varias morbi formas, quae ex variis syphiliticis venenis originem trahunt, proponamus necesse est. Principium dividendi ex eruptionis charactere petamus licebit, secundum quem meliorem partitionem faciemus, quam secundum formas

ulcerum primarias, quae quidem pro aegrotorum vivendi ratione ac cura instituta diversimodo modificantur. Ex illo supra dicto principio Carmichael hasce formas proponit: papulosam, pustulosam, phagedaenicam, squamosam.

Prima forma aut ulcere peculiari aut gonorrhoea virulenta provocatur. Ulcus plerumque incipit ab vesicula, qua materia liquida et ichorosa, quae sensim sensimque crassa et turbida evadit, continetur. Proximis inde diebus tribus quatuorve crusta effingitur, qua delapsa ulcus excavatum relinquitur, qui status octo vel decem dies perdurat. Ad finem hebdomadis secundae planities ulceris cum cute vicina applanatur, de qua interdum etiam aliquanto surgit, et superficiem aliquid fungosam, nulla tamen induratione nec elatis marginibus phagedaenicis exstantibus, praebet. Quod quidem ulcus, ab Evans venerola vulg. dictum, regimine aegroti vel cura medici diversimodo modificari potest. Gonorrhoea quoque virulenta, ut supra dictum est, eruptionem papulosam cum comitibus suis, irritatione faucium ac doloribus articulationum, provocare potest, nec minus hunc effectum illa gonorrhoea glandis exserit, qua exstante glans ac praeputium excoriantur, id quod plerumque nomine excoriationum cancri significamus. Affectiones tres nominatae eandem originem eosdemque effectus praestant, qui quidem et quotidie in uno eodemque individuo uno eodemque contagio producti usu veniunt.

Primum pustulosae formae phaenomenon in ulcere constat, quod illi antea descripto aequum ab vesicula incipit, sed demum hebdomade secunda vel tertia characte-

rem induit syphiliticum. Quo facto adspectum praebet magis phagedaenicum quam fungosum et margines habet acute terminatos atque elatos. Ut hoc ulcus ab illo formae papulosae discernamus, id spectemus necesse est, ut excavatio in forma papulosa sit primaria et postea applanetur, dum e contrario in forma pustulosa excavatio secunda demum vel tertia hebdomade intrat et marginibus elatis efficitur. Qui margines quum characteristicum offerre videantur momentum, ex iis Carmichael ulceri nomen dedit eique locum inter formam papulosam et phagedaenicam collocavit, ita tamen, ut ratione pertinacitatis et magni symptomatum constitutionalium consecutivorum momenti habita magis ad posteriorem formam inclinaret.

Saepe dictum est, fines inter ulcera singula tam distincte non constituendos esse, sed potius alteram formam paullatim in alteram transire, unde sit concludendum, singula syphilitica venena affinitate arctissima cohaerere. Quam vero affinitatem Carmichael nunquam infitiatus est: etsi enim pluralitatem venenorum syphiliticorum contendit, eadem potius existimat catenae membra, quae quamvis diversa tamen inter se cohaerent.

Forma pustulosa in praxi multo rarior quam papulosa obvenit. Ejus eruptio, ut nomen jam indicat, pustulas punctis phlyzacicis ac papulis intermixtas offert. Pustulae in ulcera commutantur superficialia sine marginibus phagedaenicis, quae magna sanantur facilitate, papulis se desquamantibus. Qua in morbi forma etiam ulcera aphthosa in faucibus, dolores articulationum, imo exostoses apparent.

Symptoma formae phagedaenicae primarium ulcus est

adspectus erosivi, marginum irregularium, dentatorum, nulla induratione affectum, saepe crusta obtectum. Crusta delapsa, planities ulcerosa phagedaenica in lucem profertur; ulcus serpit, locis recenter corrosis itidem crustae formantur, quae similes ulceris formas relinquunt, eodem modo se expandunt itaque summam producunt destructionem. Haec forma est phagedaenica acuta, opposita chronicae, in qua destructio tardior quidem, sed certo evadit ulcusque, dum ad unum latus margine irregulari circumserpit, altero latere sanescit. Eruptio', ulcerationes in faucibus, larynge, naribus, dolores articulationum, imprimis genu, exostoses numerosae saepeque redeuntes cum ulcere primario supra descripto quoad malignitatem ac pertinacitatem consentiunt. Mercurio maturius in auxilium vocato, malum saepe plane fit insanabile, ita ut quotannis multi homines praxi inexcusabili victimae morti tradantur. Feliciter remedia praesto sunt, ad formam illam, quamvis malignissimam, plerumque sanandam, ea autem sub conditione, ut mercurius non maturius porrectus fuerit.

Ulcus formae squamosae primarium memorabile indolentis naturae est, lente progrediens ac parum molestiae vel doloris efficiens. Cujus signum characteristicum offertur induratio, quam Hunter recte duritiem cartilagineam sub cute significat; ulcus autem ipsum non semper excavatum est, saepe potius hanc indurationem sub ulcere reperimus valde superficiali, cui magis nomen excoriationis induendum esse censemus. Haec ulcera, ut primaria omnino, cum vesicula incipiunt atque duritiem suam characteristicam hebdomade prima demum vel tertia accipiunt. Symptomata constitutionalia quoad indo-

lentiam primaria exaequant; febris eruptionem inaugurans vix percipienda est, eruptio ipsa, aut psoriasis aut lepra (ulterior autem rarius) decursum facit chronicum, ulcera in tonsillis, quamquam saepe profunda et impura, tam parvum provocant dolorem, ut ista adesse saepe prius a medico quam ab aegroto animadvertatur. Dolores capitis et in partibus ossium fistularium mediis, etiam exostoses frequenter obveniunt, dum e contrario articulationes raro tantum afficiuntur. Hunteri temporibus haec forma prae aliis grassata esse videtur, quia ejus descriptio praecipue istam spectat; nostro autem tempore forma papulosa, ut quidem Carmichael contendit, praedominatur.

Haec adumbratio brevis est formarum syphiliticarum a Carmichael propositarum, earum divisio pro ipsarum charactere ac expositio regularitatis, qua venena syphilitica eruptionem faciunt. Immerito igitur contenderunt, dermatoses syphiliticas formis tam variis se praebere posse, ut se quoad characterem exteriorem systemate comprehendi non liceret, iisque porro nulla signa generalia vel exclusiva inesse, quae vel naturam vel originem ipsarum proderent. Nullum, Bateman censuit, esse genus, nullam speciem morborum cutaneorum chronicorum, inter quos syphiloides discerni non possint, quod nominatim de forma papulosa, squamosa, tuberculosa, pustulosa valeat.

Sane quidem quaedam affectiones cutaneae exstant, quae cum quaque syphiloidum forma se miscent, quo nominatim pertinent illae maculae fuscae, quae saepe eruptioni regulari ac definitae praecedunt et quae quandoquidem per se exstiterunt et sensim sensimque mercurio

non adhibito evanescunt. Porro in locis, ubi plicae cutis duae in perpetuo contactu perseverant, e. gr. in regione axillari, natibus, al., cum quaque alia eruptione, nulla ejus characteris ratione habita, mixtae, cutis elationes, condylomata, a Franco-Gallis »tubercules muquenses« nominata, se ostendunt.

Ad hancce naturae consentaneam et accuratam morborum syphiliticorum perspectionem cura antimercuriali demum perventum est: namque mercurii usu universali contra omnes syphilidis formas, quin etiam jam suspicione ejus mota, istius character atque symptomata alterata sunt, ita ut denique symptomata medicinae et morbi inter se discernere dubitari oporteret. Illud Matthiae opus de hydrargyrosi conscriptum, quamvis multis erroribus intermixtum, tamen bonum exseruit effectum, quod quidem ne remedium adhiberetur praemonuit, quod irrationaliter porrectum malum faceret insanabile. Hunteri vero doctrina syphilidem tam diu progressus facere, donec mercurius, solum antidotum, adhibitus fuerit, multi in errores inciderunt. Jam haud ignoramus uberrima, quae curationi non mercuriali debetur, experientia edocti, quamque syphilidis formam, nullo mercurio adhibito, saepe sola vi naturae medicatrice esse sanandam, cujus rei notitiam gravissimis medicinae recentioris progressibus annumeremus licet. Attamen mercurius inter gravissima morborum syphiliticorum remedia haberi debet, dummodo secundum principia pathologica justa atque formae et stadio mali consentanea porrigatur neque temere quasi specificum in usum vocetur.

Quod vero ad experimenta inoculationis ab Hunter, Bell, Evans, Ricard, aliis instituta attinet, ista

quidem sane non ea ratione instituta sunt, quae ad fru ctus percipiendos fuerit necessaria. Virus enim inoculandum quatuor variis speciebus ulcerum primariorum se evolventium depromendum erat, tum quum materia adhuc liquida et ichorosa fuerit. Carmichael ipse nulla experimenta ad sententiam suam de pluralitate venenorum syphiliticorum fundandam instituit, quia quidem vehementissime ab iis abhorruit idque propterea quod, ut ipse ait, ne morbum provocet pertimuit, quem postea fortasse sanare non valeat. In Ricardi autem notionem, virus ab una individui parte haustum alteri inoculandi, Carmichael non inciderat.

Quamquam vero illa experimenta non ea ratione instituta sunt, ut theoriae a Carmichael propositae utilitatem quandam afferrent; tamen argumenta quaedam eam probantia praebuerunt, quare iis eo majorem fidem habeamus licet. John Huntero nonnulli gonorrhoeae casus obvenerant, quos lues venerea sequebatur, unde conclusionem fecerat, et cancro et gonorrhoeae virus unum idemque esse causam proximam. Censuit enim, priorem progigni, si virus in planitiem non secernentem, epidermidem quidem, inciderit, alteram, si membranae cuidam mucosae applicitum fuerit. Quae quidem sententia ei probata est experimentis quae sequuntur: lanceola materiae gonorrhoicae immersa duae in penem punctiones fiebant, una in glandem, altera in praeputium. Loci punctionum inflammantur atque ulcerationes formantur, quin tamen indurationis mentio fiat; ulcera ista lapide infernali cauterisantur ac sanantur. Quatuor deinde mensibus praeterlapsis cancer praeputii iterum apparet, bubone stipatus; ulcere sponte sanato, contra bubonem mercurii infrictiones

ordinantur. Duobus mensibus post ulcus tonsillae unius apparet, contra quod mercurius quidem in usum vocatur, tamen tam diu tantum, donec cute obductum est, ne efficacia veneni ulterior turbetur. Tribus mensibus intermissis maculae cuprini coloris in cute apparent et ulcus tonsillare redux fit. Etsi iterum mercurius adhibetur, tamen malum fit recidivum in partibus jam antea affectis cutis atque tonsillarum. Experimentum per tres annos ita pertractum denique cura radicali finitur.

Quod ex hoc experimento resultat, id solum est, ut materia gonorrhoica ulcera progignere et symptomata constitutionalia efficere possit, quin tamen cujus generis ista sint certiores fiamus. Itaque ex hoc experimento nihil quidem redundat, quod doctrinae de venenorum syphiliticorum pluralitate contradicere, multa tamen, quae illam adjuvare possint. Morbus hoc in casu inoculatione provocatus formae papulosae secundum Carmichael respondet: papulae enim desquamatae quasi maculae cuprini coloris apparent. Id autem, ut malum usu mercurii intempestivo diutius pertraheretur illudque, ut affectiones osseae nullae existerent, id utrumque manifestissime formam papulosam probat.

Hoc autem Hunteri experimentum, quo identitatem inter gonorrhoeam et cancrum evidentissime perhibitam esse creditum est, mox experimentis a Benjamin Bell institutis perfectissime est refutatum. Quorum experimentorum, quae hoc loco fusius discribere longum est, duo demonstrant, materia cancrosa, in urethram illata, cancrum progigni, alia duo, materia gonorrhoica, ope carpiae inter glandem et praeputium collocata, balanitidem

produci. In altero horum experimentorum urethra quoque afficiebatur et perfecte gonorrhoica efficiebatur.

Ex experimentis a Ricardo (1) institutis contraria sequuntur et quae repugnant iis, quae ipse ex istis conclusit. Experimenta inoculationis quae ille instituit cum materia e gonorrhoeis glandis et urethrae desumpta, quorum numerus quinquaginta quinque est, diligentiam quidem indefessam probant, dummodo tales tantum casus respexisset, ubi profluvium adhuc liquidum exstitisset, quum ex ipsis suis experimentis eluceat, mucum gonorrhoicum primo tantum stadio, ubi conditionis adhuc liquidae et serosae est, ulcera progignere posse. Talium autem casuum sex tantum obveniunt, in quibus morbus erat recens, et in uno tantum Ricardus illam profluvii, quod ipse saniosum vocat, conditionem adfuisse testatur. Si igitur Ricardus ex omnibus suis experimentis id evenire censet, materiam gonorrhoicam inoculatam ulcera minime producere posse, illi sex supra dicti casus contrarium ipsum testantur.

Si quidem gonorrhoea et cancer non in uno eodemque viro posita sint: quomodo declarare possimus, utrumque tam frequenter in una affectione obvenire, cujus rei tam multa exempla Ricardus ipse proponit. Eam enim opinionem sane supponamus non licet, omnibus in his casibus duo venena esse communicata, quorum unum gonorrhoeam, alterum cancrum producat. Ulcera illa fungosa, quae, ut Ricardus recte admonet, haud raro gonorrhoeam comitantia in cervice uteri reperiuntur, accurate

(1) Traité pratique des maladies vénériennes par Ph. Ricard. Paris 1838.

cum stadio secundo illius ulceris primarii consentiunt, quod mea quidem opinione provocat eruptionem papulosam.

Ceterum Ricardus ipse apud mulieres gonorrhoea affectas nunquam in collo uteri sanguisugas collocandas suadet, eo timore adductus, ne quodque vulnus hirudinibus effectum in ulcus cancrosum se transmutare possit. »Jamais, ait, aussi je ne donnerai le conseil d'appliquer des sangsues sur le col même de l'uterus, à moins de vouloir s'exposer à vain chaque piqûre se transformer en chancre.«

Evans, cui munere medici militaris fungenti uberrima syphilidem observandi copia data fuit, numerosis casibus probatum reperit, illos cancros mites, qui postea eruptionem provocant papulosam, coitu cum mulieribus gonorrhoea tantum laborantibus exercito esse ortos.

Porro ex experimentis ab Evans institutis elucet, stadium ulcerationis, quo secretum nondum apparet purulentum, inoculationi maxime favere. Quae quidem observationes probant, facultatem, quae syphilidi ad inoculandum insit, generalibus subjectam esse legibus. Etiam vaccina, ut constat inter omnes, mature inoculanda est, quia aliter aut nullum omnino exserit effectum, aut exanthema contra variolam non tuens provocat.

Quae ergo ex experimentis a Ricardo institutis eveniunt, ea sunt: primum ut secretum cancrorum constitutionalium non sit contagiosum, deinde ut syphilis in organismo sensim sensimque mitescat ac denique qua talis in eo deleatur.

Primum horum eventuum jam Hunter contendit, inoculandi experimentis fulcitus, quae cum sanguine syphilide

secundaria affectorum instituerat et quae nulla infectio consecuta erat. Quomodo autem id eveniat, ut infantes syphilitici, quorum ulcera oris minime sane primaria esse possunt, nihilominus tamen mammas nutricum valetudine bona gaudentium inficere valeant? Etiam casus haud innotuerunt, ubi uxores modo nuptae, quae certo nunquam symptomatibus primariis laboraverant, per mares suos tempore matrimonii juncti syphilide secundaria affectos infectae fuerint. Quibus rebus probatis ad opinionem illam deducimur, syphilidem secundariam esse posse contagiosam.

Quae res ut disceptetur, experimenta inoculandi institui oportet cum ulceribus syphiliticis secundariis eo tempore, quo secretum adhuc liquidum et serosum est. Talia autem experimenta usque adhuc nondum instituta sunt.

Aeque nondum experimenta instituta sunt, ut inoculando certiores fiamus, num unum an plura vira existant syphilitica. Si Carmichael ipse talia experimenta instituisset, suspectis tantum oculis ea respexissemus; si vero aliorum experimentis utebatur diffidentiam omnem deponamus necesse est. Ex experimentis a Bellio et Ricardo institutis elucet, Hunteri sententiam: idem virus cancros (Hunteri quidem cancros) atque gonorrhoeam progignere posse, esse falsam; simul autem Ricardi experimenta demonstrant, materiam gonorrhoicam ulcera posse provocare. Perspicimus igitur, virus existere, quod gonorrhoeam tantum et ulcera simplicia primaria progignere possit atque aliud ergo virus praeterea existere debere, quod cancros phagedaenicos induratosque producere valeat. Hoc igitur modo diversitas venenorum

proponitur, quae multiplicari potest, si experimenta e ratione et consilio instituta fuerint.

Intra has duas syphilidis modo dictas formas alia sita est, in qua eruptio pustularum offertur, quae in ulcera mitia, superficialia, propensitate mature pronuntiata ad sanationem affecta, transeunt, qua ipsa re a forma phagedaenica secundaria differt. Uulcus primarium hujus agminis superficiem habet laevem et margines elatos neque, ut ulcus primarium eruptionis papulosae, hebdomade secunda tertiave fundum ostendit fungosum vel granulosum. Medium tenet justum inter lenitatem formae papulosae et destructivitatem formae phagedaenicae. Utrum ejus causa proxima in viro peculiari quodam sit petenda, an characterem suum peculiarem rerum aliarum influxu accipiat, id experimentis tantum e consilio certo institutis discernendum est. Quidquid id est, formae tamen pustulosae majorem ad agmen phagedaenicum quam ad mite papulosum agmen inclinationem attribuere licet.

Quod attinet ad formam phagedaenicam, contra cujus symptomata primaria et secundaria usus mercurii adhibitus tam nocivos exserit effectus, animadvertendum est, eam saepissime apud aegrotos, qui antea valetudine firmissima gavisi sunt, reperiri, ita ut malignitatem hujus mali non, ut plerumque fit, vitiis constitutionis aegrotorum adscribere nobis liceat. Ad quam rem saepissime ille a Ferguson narratus casus refertur, ubi centurio juvenis, a saltatrice scenica infectus, ulcus phagedaenicum periculosissimum sibi adscivit, dum illa valetudine bona gaudere visa perpetuo munere suo fungebatur, praeterea vero etiam aliis amatoribus similia dona infausta ferebat. Unde demonstrare in animo est, mali virulen-

tiam non in contagio ipso esse quaerendam, sed constitutione demum individui infecti progigni. Quae autem Fergusonii enarratio critico examini subjecta quum non probetur, et documento esse nequit. Potius Ricardus (1) duos enarrat casus, qui manifestissime demonstrant, virus ulceris phagedaenici iterum progignere ulcus phagedaenicum, huic ergo syphilidis formae contagium quoddam peculiare inesse.

Hae vero ab Richardo Carmichael propositae atque, ut censeo argumentis juste firmatae et essentialiter inter se diversae syphilidis formae sunt, quarum singularum curationem specificam hoc loco quo minus proponam, arctis hujus dissertatiunculae limitibus prohibeor. Itaque id tantum mihi restat, ut conspectum summarium afferam indicationum, sub quibus usus mercurii adhibeatur necesse videtur.

1. In casibus ulcerum primariorum formae papulosae, quae per tres quatuorve hebdomades quiete, antiphlogisticis remediis et lotionibus adstringentibus curata cedere nolunt: mercurius parvis dosibus qua alterans porrigatur eodem modo, quo iste ad quodque aliud ulcus indolens curandum adhiberetur.

2. Si eruptio papulosa et pustulosa evadit squamosa, in stadio igitur decrementi versatur (plerumque quidem quarta quintave hebdomade), et kali hydrojodicum ac remedia cetera nullum justum effectum praestiterint: cura festinatur parvis mercurii dosibus sarsaparilla adjuncta.

---

(1) l. c. p. 219 et 250.

3. Iritis, ut tota res fert, mercurii magnis dosibus adhibiti usum postulat.

4. Ubi exostoses, periostitidi conjunctae, jodo adhibito cedere nolunt: ibi hydrargyrum jodatum tam diu porrectum, donec sensibilitas ac parvae gingivarum exulcerationes intraverint, maxima est utilitate.

5. Forma phagedaenica usum mercurii penitus vetare videtur et ibi, ubi morbus sub forma tuberculorum squamosorum pronuntiatur, mercurius fortasse prodesse possit; attamen hoc in casu kali hydrojodicum cum decocto sarsaparillae porrectum cui plus fiduciae habeatur dignum est. Ubi exostoses mercurium indicant, tamen istum repudiari oportet tum, quum simul rupia vel alia syphilidis phagedaenicae forma exstat. Quin etiam ubi ulcera faucium vel narium generis phagedaenici exstiterunt, postremo demum mercurius in usum vocetur, quia quidem haec syphilidis forma mercurio in organismum recepto sane deterioratur, etiamsi interdum primo adspectu fausti effectus animadverti videantur.

6. Cancer Hunteri cum induratione, ulcum primarium formae squamosae, aeque ac haec ipsa campum peculiarem mercurio adhibendo praebent. Qua prophylacticum contra syphilidem secundariam mercurium respectu tantum formae squamosae habito proponere licet, quum quidem in casibus plerisque, quibus cancri Hunteri sine mercurio curati fuerint, posteriore tempore symptomata secundaria intraverint. Quod autem attinet ad alias syphiliticas formas mercurium qua prophylacticum proponere non licet: namque quum vim primaria symptomata delendi non habeat, eam etiam vim habere non potest, eorum sequelas praecavendi.

Richardus Carmichael primus fuit, qui a. 1813 publice sententiam de non-mercuriali syphilidis curatione pronuntiavit, nec vero Rose, qui plerumque auctor curationis non-mercurialis vocatur, quia commentatio, in qua Rose de hac re disserit, anno demum 1817. in publicum edita est. Jam vero curatione non-mercuriali per omnes fere Europae regiones divulgata persuasum nobis esse licet, ut plerisque in casibus syphilidis remedium evaserit supervacaneum, quod prioribus temporibus vehementius inter homines saevierit quam ipsa syphilis, utque nova curandi ratione instituta sexcentis hominibus bona valetudo restituta iisque vita servata sit.

VITA.

Natus sum ego Aemilius Ludovicus Cornelius Cornand, Berolini, die VII. mensis Januarii anni MDCCCXX, patre Ferdinando, matre Guilelma e gente Fink, quos Deus optimus, maximus adhuc mihi servavit. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus, decem annos natus gymnasium adii regium Gallicum, quod tum temporis sub auspiciis Beat. Palmié florebat, et sextae classis receptus sum discipulus. Maturitatis testimonio instructus, anno 1840 Regiae Academiae medico-chirurgicae militaris civibus adscriptus sum. Per quadriennium hisce virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum interfui scholis:

Cel. Benecke de logice et de psychologia; Ill. Link de botanice, de historia naturali, de toxicologia; Ill. Mitscherlich de chemia; Cel Turte de physice et de pharmacia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia universali, de medicinae historia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, anatomia organorum sensuum; Ill. Joan. Mueller de anatomia universa et pathologica, de physiologia; Cel. Eck de semiotice et therapia generali, de physiologia; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de arte

formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Beat. Kluge de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte fascias rite imponendi, de arte obstetricia, ejusdem et Cel. Froriep de akiurgia.

In arte cadavera rite secandi duces mihi fuere viri Ill. Mueller et Schlemm; Cel. Froriep operationibus chirurgicis in corporibus mortuis faciendis.

Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, medico-forensibus interfui virorum Ill. et Cel. Dieffenbach, Kluge, Schoenlein, Juengken, Wolff, Barez, Casper.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Inflammatio non a vi vitali adaucta pendet.
2. Nulla febris est, nisi nervosa.
3. Morphium et Opium quoad effectum maxime inter se differunt.
4. Remedia pharmaceutica in organismum non agunt, nisi via chemica.